



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 65. Cusanus Cardinalis Legatus in Germaniam a Papa decretus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. A.C. 1451. foeminæ caput propria manu amputavit, eoquod nonnulli ipsum nimii erga eum amoris redarguissent. Talis tantusque fuit Mahometes II, quem Turcæ cognomento *Bajuc* id est *magnum* honorare non dubitant, eo nomine haud aliter dignum, quam quia magnus est inventus in superbia, ambitione, avaritia, latrociniis, perfidia, crudelitate, omnique solutissimæ vitæ licentia, præcipue vero in Religionis contemptu.

§. LXV.

Cusanus Cardinalis Legatus in Germaniam a Papa decretus.

Æn. Sylv. de Europ. c. 3. in fin.
Trith. in Chron. Spanh.
Nicolaus Papa, comperta Amuratis morte, mala Christianæ Religionis sub ejus successore impendentia præſagebat; unde periculum potissimis Christianorum regnis, & præcipue Constantinopolitano imminens imperio, quod Mahometes omni, quo posset modo, subjungere decreverat, Pontificem movebat, ut Principes ad ferendum Græcis subsidium hortari, & populi Christiani zelum in idipsum stimulare non cessaret. Quem in finem Cusanum Cardinalem in Germaniam Legatum decrevit, qui & monasticam disciplinam in coenobiis restitueret, pacem inter dissidentes Principes conciliaret, necnon Indulgentias Jubilæi publicaret,

blicaret, hortareturque fideles, ut pecuniarum subsidiis illos, quibus Turcæ extrema minitabantur, juvarent. Nec ejus monita sine fructu erant; vix enim indulgentiæ promulgabantur, cum illico ingens auri argentique summa colligetur; verum sparsio rumore, quod Papa congestas pecunias nequaquam in belli sumptus adversus Turcas reservare, sed ad inferendum Alphonso Neapolis Regi, ac Mediolanensibus bellum convertere intenderet, multum remisit fidelium liberalitas. (*)

Sæcul. XV.
A. C. 1451.

§. LXVI.

Hanc calumniam primus Nicolao Papæ impetit Meyerus Auditor in summos Pontifices ac Principes injuriosissimus. Eundem Spondanus in Annalibus continuatis Baronii ad hunc annum num. VIII. refutavit; haud satis igitur mirari possumus, quod continuator noster, cum ceteroquin nimium fideli calamo Spondanum descripserit, hanc calumniam suæ historiæ inferre non solum non erubuerit, sed nullo allegato auctore, nullave adjecta castigatoria nota, insuper hoc rumore fidelium charitatem remisisse, de suo addere voluerit.